QUAESTIONUM STATIANARUM

PARTICULA I.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XX. MENSIS DECEMBRIS MDCCCLXXII.

HORA XI.

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS HAHN

VRATISLAVIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

FRIDERICUS PAETZOLT, cand. philol.
GUSTAVUS BAIER, cand. philol., sem. phil. sen.
GUILELMUS KRAUSE, cand. philol., sem. phil. sod.

VRATISLAVIAE.
TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

AUGUSTO REIFFERSCHEID

IURIS UTRIUSQUE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI
LITTERARUM ANTIQUARUM ET ELOQUENTIAE P. P. O.

SACRUM.

Caput I.

Quo uinculo codex Vratislaviensis ceteraque adminicula critica inter se coniuncta sint.

Perpaucis adminiculis criticis iisque exigua auctoritate in restituenda sincera lectione siluarum Statianarum nos uti inter omnes, qui in Statii operibus uersabantur, praeter unum Imhofium conuenit. Quoscunque enim Gronouius ceterique editores ante Marklandum siluas perpolientes adhibuerunt codices, adeo nihil ualent, ut in iudicio recentiorum plane non spectentur. Nam quanta leuitate illi ueteres codicibus usi sint, perspici potest ex eo, quod Thomasius Bentleius, uir eruditissimus, codicem Parisinum collatum atque comparatum cum bonum tum satis antiquum iudicavit. Cuius erroris Marklandum participem fecit, qui primus, sed morosius, siluas iudicio re vera critico castigavit. Ac Marklandus quidem, cum in Britannia non exstarent siluarum codices, editionibus usus est veteribus, Veneta sine loci et urbis indicio emissa, quam tamen anno 1472 in lucem prodiisse scimus, editione re vera principe, Parmensi anni 1473, Romana cura Domitii Calderini anno 1475 edita, quas „ex diversis codicibus, Parmensem ex optimis expressam" affirmat. Cum vero ineunte hoc saeculo exempla editionis Marklandianae rariora essent, Sillingius iterum eam emisit. Marklandus autem magnam copiam lectionum e ueteribus editionibus tractarum inseruit adnotationibus suis. Quibus Sillingius collationem codicis Vratislaviensis addidit cura atque opera Friderici Passovii ceterum,

diligenter et accurate factum ita tamen, ut interdum desideret emendationem ac supplementum.

Hunc vero Marklandum aetate consecuta est Handii editio, qui ampliorem numerum adminiculorum et codicum et editionum laudat, quorum in suum usum factis collationibus solis Vratislauiensis eaque parum accurata et Parisini utebatur. Sed haec editio in primordiis haerebat. Neque magni momenti sunt cetera adminicula praeter Vratislauiensem et editiones, quibus Marklandus adiuvabatur.

Handianae editioni adiuncta est Amari et Lemairi, Parisiis annis 1825—1830 emissa, de qua breviter licet dicere; nam praeter adiectas collationes perfectas atque absolutas et codicis Parisini et editionis Venetae anni 1480 nova atque iterata exemplorum Handii et Marklandi editio est. Cum vero in hoc libro Veneta illa iniuria princeps appellata sit, quam dicendi rationem Queckius sequitur, ego, ne nominum error nascatur, hanc falsam significationem tamen retinebo.

Minores autem editiones, quae huic aetati succedebant, Dübneriana et Weberiana sunt, quarum neutra, quamuis Dübnerus nonnullis locis cum emendatione tum interpretatione medeatur, propriis adminiculis criticis utitur.

Recentissimus denique editor siluarum Queckius, quamquam se iisdem fere dicit adminiculis criticis uti, quae Handius numerauerit, ac praeterea collatione Vindobonensis seu Budaei codicis a Martynio parum diligenter facta, tamen in adnotatione critica praeter Vratislauiensis lectiones, quas a Sillingio interdum falsas descripsit, et Parisini raro Senensem et Capilupianum codices et editionem principem, quae uocatur, laudat, ceteris paene omissis licet „se lectiones antiquis editionibus obuias obseruasse“ dicat. Itaque res ita est comparata, ut iudicium nostrum in emendanda siluarum memoria positum sit in editionibus illis a Marklando adhibitis: Veneta, Parmensi, Romana, quibus adiuncta est Veneta, quae iniuria princeps appellatur, una cum Parisino codice, maxime autem positum sit in Vratislauiensi, qui re uera omnium, qui adhuc innotuerunt, codicum praestantissimus iudicatur.

Hoc loco, postquam editiones numeraui, duos libellos relinquere non possum, quorum alter: „Imhofius, de siluarum Statianarum conditione critica, Halae 1859“ quaerens auctoritatem codicum et editionum eorumque historiam Vratislauiensem iniuria exemplum accurate descriptum codicis Poggiani iudicat, quem errorem alterius auctor Nohlius redarguit atque conuincit. Neque nullius momenti sunt, quae Imhofius de codicibus Budaeo et Salisburiensi docet. Cum enim huius opera atque industria utrumque appareat tam prope accedere ad Vratislauiensis memoriam, ut ex eodem fonte eos fluxisse uerisimile sit, equidem non multum auxilii allatum iri persuasum habeo. At me recte iudicasse nescio an intelligatur ex copia locorum, quos grauissimos et omnes fere cum Vratislauiensi conspirantes Imhofius laudat rem de Budaeo ipse affirmans. Imprimis igitur Imhofius eo reprehensionis ansam praebet, quod et Vratislauiensi uindicat nimiam auctoritatem et se ex solo Parisini margine locos restituere posse putat.

Quae autem uera auctoritas esset Vratislauiensis, duce collatione codicis Poggiani quam Angelus Politianus exemplo editionis principis impinxit, Nohlius in altero libello: „Quaestiones Statianae, dissert. inaug. Berol. 1871“ inscripto perquisiuit. Eundem, cum animaduertisset Vratislauiensem et editionem principem quae uocatur miro modo inter se conspirare, effugit tantum abesse, ut haec conspiratio per singulos libros eadem sit, ut in altera parte siluarum Vratislauiensis et editio princeps quasi aduersarii infestissimi inter se opposita sint. Quam ob rem stemma, quod attulit, ad priorem partem solam pertinere non oportebat me addere. Atque ubi Nohlius summam rei Vratislauiensem emendatum esse codicem statuit positumque nostrum iudicium maxime in archetypi collatione, sed quoniam huius collationis status atque conditio ea esset, quae parum auxilii ferret, tamen hunc emendatum Vratislauiensem plurimum valere, res iterum eo, ubi Marklando uersari uidebatur, rediit.

Quaeritur igitur, num cetera adminicula critica iuxta Vratislauiensem et collationem Politianam omnino nullam habeant auctoritatem. Atque primum spectandum erit, quo uinculo inter se coniuncta sint et Vratislauiensis et editiones antiquae et codex Parisinus eiusque

margo. Sed Venetam principem, quia non solum ipsam adipisci non potui, uerum etiam lectionum inopia uetitus sum, ne quaestione mea complecterer, paene negligere cogor.

Neque Budaeum et Salisburiensem supra non laudaui, qui collatione satis accurata nondum publici iuris facti a numero adminiculorum criticorum absunt.

Quaecunque enim habemus adminicula critica, uno ex fonte manasse non tam Angelo Politiano teste, qui in exemplo editionis principis Romae in bibliotheca Corsina seruato rem commemorauit, quam frequentia uitiorum et lacunarum omnibus communium satis constat. Sed cum archetypum illum haud nescirent a Poggio inter concilium Constantiense repertum esse, magna et uaria contentio orta est, ubinam locorum uir Florentinus siluas in lucem protulisset, quam quaestionem me tollere posse summopere gaudeo. Politianum enim ipsum non penitus nouisse, unde Poggius librum attulisset, sciri potest ex eo, quod adnotauit loco satis superque laudato, qui ultimam eclogam sequitur: „Incidi in exemplar Statii siluarum, quod ex Gallia Poggius Gallica scriptum manu attulerat“ et ad uersum, qui inter silu. I, 4. 86 et 87 insertus est, addidit: „hic uersus deest in libro uetustissimo, qui e Germania in Italiam translatus est.“ Quam ob rem et Nohlius priori loco confisus Poggium illo tempore in Gallia uersatum esse studet demonstrare et Otto Müllerus in Mus. Rh. XVIII. p. 189 illum archetypum, quem in Gallia detectum esse et hic sibi persuasit, ex ipso quodam codice Caroli Magni aetate exarato coniicit fluxisse uel paullulum tantum ab illa aetate distare. Sed ita falsa est ea Politiani mentio, e qua haec nata sunt, ut illa, quae sequuntur, uera esse non possent, nisi alia res, quam postea commemorabo, maiorem haberet auctoritatem. Subscriptio enim quaedam codicis Asconii bibliothecae Columbariae Florentinae nimis a uero aberrasse Politianum siluas e Gallia allatas esse affirmantem docet. Quae subscriptio haec est: „Hoc fragmentum Q. asconii pediani repertum est in monasterio sancti galli prope constantiam XX. milibus passuum a Poggio Florentino, una cum parte C. Valerii Flacci balbi setini argonauticon et M. manilii astronomicon et statii siluarum libri, quod sumpsimus ex exemplari poggii sua manu

transcripto." Quam primus edidit Reifferscheid in Mus. Rh. XXIII. p. 145, adn. 51. Quamquam uero Imhofius summopere dubitat, num per concilii Constantiensis occasionem, id quod Vespasianus Florentinus in vita Poggii narrat, repertae sint siluae, quia neque ipse Poggius in multis epistulis, quas Constantia ad amicos dedisset, oblitus esset alicubi commemorare nec silentio praetermisisset, qui diligentissime auctores ibi a Poggio repertos numerauisset, Laurentius Mehus, iis quae attuli dubitationem sublatam iri certissime spero. Ac forte arbitrari licet Politianum suspicionem rei habuisse et sub Gallica illa manu memoriam sancti Galli latere, cum omnino non pateat, quid haec Gallica manus sibi uelit, quodque scripturae genus sit.

Ex hoc igitur Poggiano exemplo omnes nostros et codices et editiones ducenda esse, non solum lacunis omnium communibus, sed etiam peccatorum uitiorumque congruentia comprobatur.

Atque inter lacunas, quae per omnia fere adminicula critica reperiuntur, hae sunt: Lib. I. epist. dedic. 4 (Markl.) „pro . . . ." obuiam est in Vrat. Parm. Ven. codd. Domitii, cum in Parisino et ed. princ. Domitio Calderino auctore, cuius emendationes in illa inuasisse postea intelligetur, lacuna „prodiissent" uoce suppleatur.

Iisdem adminiculis et in uersu, qui sequitur, et in lib. V. 5. 24 et 27 lacunae traduntur, quae quin ex archetypo una cum iis, quae sunt in Vrat. et Ven. in vv. V, 5. 25 et 26, ducendae sint, dubium esse non potest.

Ac uitiorum communium duo sunt genera, quorum alterum eandem formam per omnes codices et editiones seruabat, alterum librariorum arbitrio in aliis aliam sumpsit. In priore autem numero et alia et haec sunt: I, 1. 64 montis. — 2. 23. dominis. — 4. 71. illi. — II, 1. 67. fateor. — 161. palam est. — 3. 38. bromium (quod iniuria Imhofius retinere uult.) — III, 5. 80. dioneae . . . columbae. — IV, ep. ded. 36 ita quare. — 6. 39. pedum. — V, 1. 76. uanamque. — 164. Lumina. — 2. 52. tibi. — 75. domos. — 3. 46. rari. — 80. morte. — 135. festina sed ut dux. — 280. Centaurusque. — 5. 2. nec.

Varie mutatorum uitiorum exempla, licet crebriora sint, haec affero: I, ep. ded. v. 17, Arch.: in meo ne, Vr. mimeone, ed. pr. in meone, Parm. me ore, Rom., quam Domitius emendauit: metuo ne uerum, Paris. metuo uerum. — I, 4. 13. Vr. noseque, Parm. Rom. nosseque, Ven. ed. pr. nos teque, Paris. nosterque (et ita Aldus). — 6. 8. Vr. partem, Parm. parcam, ed. pr. parthen, Rom. Paris. pando (coniectura Domitii). — III, 2. 30. Vr. molorchos, Parm. molucros, Rom. ed. pr. Paris. molorchus. — IV, ep. ded. v. 4. omnes codd. et edd. uitium habent ortum ex lacuna, cuius uestigia euanuerunt, inter uoces „habet" et „quarta". — 4. 85. Vr. tuo infata teate, Parm. tuos infata theane, Ven. in fata reate, Dom. codd. tun fata, Domit. coni. tiphata, ed. pr. tuis tiphata teate. — 6. 57. Vr. laeuae sedis, Parm. setis, codd. Dom. leue sedis, Dom. (Rom.) ed. pr. Par. saeuae-caedis. — V. 3. 94. Vr. Cidaliben, Parm. Cyda liben, Ven. cicla liben, ed. pr. Parm. Rom. Cyda labor (coniect. Domit.) codd. Dom. Cyda libem. — 277. Vr. aeternaque (et ita Queckius), ctt. aetheaque (unde recte Gronovius et Handius „Enneaque" et „Henneaque".)

Cum uero Nohlius animaduertens III, 5. „dioneae columbae" in omnibus nostris adminiculis esse Poggiano codice „dionea-columba" tradente, consequi uidisset, ut haec adminicula non ex ipso archetypo descripta essent, sed ex exemplo fluxissent profecto e Poggiano libro, non oportebat omittere alios locos, quibus res magis fulciretur: V, 2. 153. archet. subibis, ctt. omn. sub illis. — 3. 280. arch. centaurosque, ctt. omn. centaurusque.

Jam antea de Nohlii quaestionibus Statianis disserens illum uidisse dixi, quae res in Statio uersantem uix fugere potest, Vratislauiensem et editionem, quae princeps appellatur, communi uinculo teneri. At dicere debebam Passouium primum rem sensisse in ind. lect. Vrat. aest. a. 1818, qui eam leuiter tangit. Sed neque ille nec Nohlius uel argumento utitur ad probandum, quo in re paene manifesta fortasse supersedere potuit, uel singulos libros in primis haerens perquisiuit. Nam quomodo acies utriusque fugere potuerit hoc uinculum non esse per singulos libros idem, sed ad priorem partem solam pertinere, quae libri II ecl. VI finitur, non intellego. Inde enim ab hac ecloga illa non solum non esse paria,

sed maxime inter se opposita, cum editio princeps ex editione Romana et interpolationibus Domitii Calderini pendeat, Vratislauiensis autem fidem seruet integriorem facile cognoscitur. Neque enim hoc tam discrepantia lectionum probatur — nam nimia est — quam eo, quod, cum antea errores perinsignes et miri persaepe conspirauerint inter perpaucos locos discrepantes atque eos, quos facile ex incuria librarii uel typographi natos uideamus, in posteriore parte inter nullam fere uitiorum communitatem grauissime inter se discrepant.

In numero uitiorum miro modo in priore parte conspirantium longe minima pars haec est: I, 1. 25. Vr. ed. pr. discit et e, ctt. adm. discitur e. — 27. Vr. ed. pr. captis, ctt. cattis. — 204. Vr. ed. pr. annus, ctt. amnis. — 3. 9. Vr. ed. pr. tecum, ctt. tectum. — 4. 90. Vr. ed. pr. uel det quae, ctt. Veledae et quae (Dom. uel deae). — 5. 29. Vr. ed. pr. nulli, ctt. molli. — II, 1. 30. Vr. ed. pr. iam, ctt. me. — 113. Vr. ed. pr. gratus, ctt. graius. — 219. Vr. ed. pr. umbris, ctt. ulnis. — 6. 10. Vr. genus ut sepium, ed. pr. g. et. s., ctt. gemis Urse pium. — 30. canentem, ctt. cauentem, alia permulta. Aliis locis ipsam discrepantiam eandem habere fontem apparet, ut I, ep. ded. 13, Vr. mimeone, ed. pr. in meone. — 3. 77. Vr. thori(s), ed. pr. thoros. — 1. 56. Vr. uix esa, ed. pr. ui sessa.

Quae Vratislauiensi solo traditur bona memoria, editione principe firmatur: I, 1. 231 et fulgent (unde effulgent.) — 3. 23. habentes.

In posteriore parte congruentes loci rare obuii sunt atque ii, ut alii facile in utroque libro nasci potuerint, alii — cum Romana editio cum principe concinit — ex communi archetypo deriuati forte consensum retinuerint ceteris adminiculis menda, quae uidebantur, emendantibus. Quo in posteriore numero maxime accusatiuos plurales in „is" exeuntes contineri concedent omnes. Sunt enim his locis traditi: III, 3. 125 uiridis. — IV. 4. 20. omnis. — 45. iuuenis. — V, 3. 20. fulgentis. — 5. 20. crudelis.

Ceteri uero loci mendosi, quibus Vrat. et ed. pr. in posteriore parte conspirant, hi fere sunt: II, 7. 67. dulcis. — III, 1. 78. supernae. — 144. puniceis. — 3. 96. nubibus. — IV, 3. 13, quis. — 20. grauatas. —

95. leuarat. — 6. 20. caeli. — IV. 6. 35. artus. — 7. 35. propinquo. — V. 1. 207. ducis. — 247. laetissime. — 5. 63. fulmina.

Reliquum est, ut enumeremus discrepantes locos, quorum cum enumeratione una demonstrabo posteriorem ed. principis partem uestigia Calderini et ed. Rom. premere. Comparantibus igitur nobis eos locos, quibus ed. pr. Romanam secuta a Vrat. auctoritate longius recedit, et interpolationes coniecturaeque Domitii et loci mendosi et integri in solis pr. et Rom. edd. sibi respondentes obuii sunt. Neque enim dubium est, quin coniecturae Domitii reperiantur haec: II, 7. 14. ed. pr. Rom. pateram, Vr. patet. — III, 5. 22. ed. pr. Rom. est mens tua, Vr. etenim tua. — V, 3. 94. ed. pr. Rom. Cyda labor, Vr. Cida liben. — 99. ed. pr. Rom. tenores, Vr. leones. — 129. ep. pr. Rom. Maeon, Vr. Maior. — 212. ed. pr. Rom. quantum ostendere, Vr. quam uos debere. — 273. ed. pr. Rom. tetra, Vr. retro. — 5. 24. ed. pr. Rom. cum meditor, Vr. (lacuna). — 27. ed. pr. Rom. orsa dolor, Vrat. orsa (lacuna). — 80. ed. pr. Rom. Non cupii, Vrat. Concupii. Multo autem maiorem partem ii loci complectuntur, quibus integris aut deprauatis Romana et ed. princeps contra Vratislauiensem stant: II, 7. 96. ed. pr. Rom. potentis, Vr. prementis. — III, ep. ded. 6 ed. pr. Rom. penetrasti, Vr. penetrali. — 2. 129 ed. pr. Rom. hoc, Vr. Ac (Arch. At). — 3. 40 ed. pr. geniumque, Vr. genui. — 129 ed. pr. Rom. rubentesque, Vr. pubentesque. — 4. 52. Rom. pinguius, ed. pr. pignius, Vr. dignius. — 5. 86. ed. pr. Rom. parati, Vr. peracti. — IV. 2. 55. ed. pr. Rom. mensis, Vr. musas. — 65. ed. pr. Rom. Romanae, Vr. troianae. — 3. 87. ed. pr. Rom. putorem, Vr. pudorem. — 4. 72. ed. pr. Rom. gente es, Vr. gete. — 6. 43. ed. pr. Rom. An, Vr. Ac. — 7. 37. Rom. timulata, ed. pr. tumulata, Vr. cumulata. — V. 1. 91. ed. pr. Rom. et reflui, Vr. et refugo. — 231. Rom. saepit, ed. pr. sepit, Vr. spirat. — 2. 81. ed. pr. Rom. iuuat, Vr. libet. — 116 ed. pr. Rom. minantem, Vr. minacem. — 153. ed. pr. Rom. ueniamque, Vr. uallumque. — 160 Rom. Heu, ed. pr. Hei, Vr. Et. — 3. 57. ed. pr. Rom. dicarem, Vr. ligarem. — 182. ed. pr. Rom. auguriis, Vr. auguribus. — 183. ed. pr. Rom. lanea est, Vr. lateat.

Praeterea uersus non deesse, in quibus digrediantur Romana et editio princeps, vix est, cur dicam, sed non ita frequentes sunt, nam omnes fere postea enumerantur. Quamquam autem cum ex interpolationibus Domitii tum ex tanta reliquorum locorum congruentia, ut utraque editio non eodem fonte usa sit, sed princeps ex ipsa Romana hauserit, consequitur, tamen his discrepantibus locis, ne repetitionem solam editionis Romanae principem iudicemus, adducimur. Quibus digredientibus lectionibus cum emendentur peccata et menda Romanae atque ea emendationibus, quae cuilibet facile obuiae sunt, mirum esse non potest, quod easdem siue est coniectura siue codicum memoria, quae in editione principe reperiuntur, et in aliis adminiculis plerasque in omnibus animaduertimus. Atque in hoc numero loci sunt, qui sequuntur: III, 2. 137. ed. pr. zeugma, Rom. zaugma. — 3. 16. pr. rigidum, R. regimen. — 72. pr. affatu, R. effatu. — 112. pr. unquam, R. nunquam. — IV, 2. 19. pr. quantae, R quam te. — 4. 93. pr. uacuos crines, R. alios crines. — 101 pr. amorem, R. honorem. — 8. 48. pr. sedentem, R. serentem. — 51. pr. mystae, R. mestae. — V, 1. 36. pr. mater, R. maneat. — 2. 7. pr. querar, R. queat. — 3. 32. pr. hausit, R. ausi. Alibi varietas ex incuria librarii ducenda uidetur: III, 2. 87. ed. pr. gerit, Rom. gerat. — V., 3. 35. hebetatem, R. hebetante. Ex iis uero, qui restant, locis manifestum erit, quamquam plurimum ualeat in editionis principis posteriore parte editio Romana, tamen alia quoque adminicula aduocata esse: IV, 2. 22. pr. excedere, R. escendere. — 3. 20. pr. grauatas, R. grauantes. — 95. pr. leuarat, R. leuabat. — 7. 35. pr. propinquo, R. propinqui. — 55. pr. torani, R. troiani. — 9. 24. uersus legitur in ed. pr., deest in Rom. —

Cum igitur altera pars tam prope ad Vratislauiensem accedat, cumque in altera parte non desint loci, qui ad Vratislauiensis fidem quadrant, nam exempla, quae attuli et in pr. et in Vr. consistunt praeter „torani" illud, cuius loco in Vratislauiensi „timaui" est: suspicari licebit, ut mea fert opinio, auctoritati eiusdem libri, in quo nixa est altera pars, alterius lectiones Romanam relinquentes, quae cum Vratislauiensi faciunt, deberi. Sed hoc ita affirmare non ausim, ut hanc summam rei

statuo: priorem editionis principis partem eundem habere fontem, quem Vratislauiensem, Romanam editionem sequi posteriorem partem, adhibito alio, quodcunque est, adminiculo.

In priore uero editionis principis parte uestigia Romanae frustra quaeres, frustra Domitii emendationes. Quod enim lacunas dicunt, in quas incidimus initio epistulae dedicatoriae primae, Calderini coniecturis esse impletas, res non eadem in utraque est. Nam altera „prodiissent" prompta atque proposita cuiuis facile occurrebat, altera apta uidetur, qua suspicio moueatur, nec sententiae loci neque spatio in Vratislauiensi tradito penitus respondens. Tamen uix, ut iudicium nostrum mutetur, hac re effici potest. Nam quoniam eadem supplendi ratio in margine editionis Parm. extat, quae editio Romanam aetate superat, hanc emendationem, sit a Domitio profecta, ante emissum exemplum Rom. percrebruisse necesse est.

Ergo re ita comparata, quantum equidem intellego, in re critica omnino nullam habet uim atque auctoritatem editionis principis posterior pars, nam quae pauca bonae memoriae sunt, colluuie interpolationum et exempli Romani auctoritate obtecta ac demersa parum intelleguntur. Quae uero altera huius ed. parte cum Vratislauiensis fide arcte coniuncta nobis sunt tradita, ea in iudicio de siluis faciendo adiutura nos esse nemo negabit.

Sed haec hactenus. Nunc uideamus quaeso de editione Romana, quo uinculo cum Vratislauiensi coniuncta sit, quae sit eius auctoritas, quam prope ad Parmensem accedat. Ac primum quidem Romanam non ita ad Vratislauiensis auctoritatem quadrare constat quam ed. pr. ad illam quadrat. Nam missis iis locis, quibus exploratae sunt Domitii interpolationes, multa dissidere uidemus utrumque librum, quorum mendosa sunt haud pauca in Romana, plura errores Vratislauiensis restituunt. Quare pauca exempla, si cum abundantia omnium, quae exstant, comparas, liceat afferre: I, 1. 27. Vrat. captis. Rom. cattis. — 56. V. uix esa, R. inlessaque. — 91, V. opus, R. om. — 103. V. terens, R. tonans. — 21. V. nimbo, R. tymbra. — 44. V. Sedisses, R. Venisses. 89. V. praeulsi, R. praelusi. — 103. V. Finierat, R. Dixerat et. — 251. V. faestis, R. fessis. — 3. 16. V.

artemque, R. concessa (Domitius?) — 83. V. Laurentia, R. Lacinia. — 87. V. anxuris, R. aut curis. — 4. 49. V. mixto, R. miti. — 131. V. farra, R. sacra. — 6. 21. V. Pregnantes, R. praegrandes. — II, ep. ded. 26. V. rarissima, R. clarissima. — I, 19. V. solemnia, R. solatia. — 2. 147. V. curae, R. cuius. — 3. 14. V. ibi domum, R. iam demum. — 55. V. scrutatur, R. sinuatur. — 6. 48. V. unde natae, R. inde notae.

Longum est, singulas eclogas perquirere, praesertim cum affatim exemplorum inuenias p. 12.

Pertinere autem ad rem arbitror commemorari in hoc numero esse, quae non Romanae solius propria sint quibusque et Parmensis et aliae editiones se Vratislauiensis fidem relinquere uideantur ostendere. Unde profecti de Parmensis quoque auctoritate et uinculo quaestionem habebimus. Consistit enim Parmensis cum Romana et aliis et his locis: I, 1. 27. Cattis. — 91. (opus omittitur) — 103. dixerat et. — 2. 21. tymbra. 44. uenisses. — 89. praelusi. — 3. 23. auentes. — 83. Lacinia. — 6. 21. praegrandes. — II, 1. 19. solatia. — 3. 14. iam demum. — III, 3. 40. geniumque. — V, 1. 91. laceras.

Quibus addas alia quaeso: III, 1. 145. Parm., Rom. uiuentibus, Vrat. humentibus. — 4. 84. R. P. repetebat, V. pectebat — IV, 2. 19. P. R. super, V. stupet. — 5. 17. P. R. Iapigeri, V. lanigeri. — 8. 61. P. R. aulae, V. alae. — V, 1. 36. P R. manet, V. mater. — 2. 1. P. R. Tageni, V. Tagetis.

Ac perspicuum est multum interesse inter Vratislauiensem et utramque editionem. Et cum ed. principis altera pars cum Vratislauiensi coniuncta sit arcto uinculo, magis laxum est uinculum, quo Rom. et Parm. cum codice cohaerent. Quot autem libri inter archetypum Poggianum et Romanam uel Parmensem intercesserint, ex numero locorum, qui discrepant, suspicari non potest. At Romanam ex ipsa Parmensi, quae duobus annis ante in lucem prodiit hausisse, uix credi potest, quod Calderinum uitia Parmensis secutum esse omissis quae haud raro bonae memoriae continet non est cui probetur. Neque rem subtilius spectantem uim atque auctoritatem aliam fuisse effugere potest codicum, qui Parmensem praecesserunt, aliam eorum, quos Ro-

mana secuta est. Nam cum Rom. magis magisque a Vratislauiensis memoria digrediatur erroribus et interpolationibus scatens, Parmensem eamque maxime in altera parte, quamquam ne in priore quidem crebra desunt exempla, accurate ac mirabiliter lectionibus cum codice consistere uidemus, qua re, ut putaremus utrumque librum eodem exemplo usum esse, facile adduceremur, nisi ut caueremus haud paruo discrepantium lectionum numero admoneremur. Quam uere affirmauerim consistere Parmensem lectionibus cum Vratislauiensi contra Romanae memoriam his demonstretur locis: II, 7. 67. Vrat. Parm. Quo, Rom. et. — 96. V. P. prementis, R. potentis. — 97. V. P. horruit, R. obruit. — III, 2. 30. V. P. primos, R. rupes. — 129. V. P. Ac (arch. At), R. hoc. — 5. 22. V. P. etenim tua, R. est mens tua. — IV, 3. 87. V. P. pudorem, R. putorem. — 4. 101. V. P. honorem, R. amorem. — 6. 43. V. P. Ac, R. An. — 7. 51. V. P. uno, R. imo. — 9. 40. V. P. olentes, R. arentes. — V, 1. 33. V. P. sipelea, R. sipuleia. — 231. V. P. spirat, R. saepit. — 2. 54. V. P. negantem, R. natantem. — 153. V. uallumque (P. uellamque), R. ueniamque. — 160. V. P. Et, R. heu. — 3. 94. V. Cidaliben (P. Cydaliben), R. Cyda labor (Dom.). — 99. V. P. leones, R. tenores (Dom.). — 183. V. P. lateat, R. lanea est.

Quod uero ad auctoritatem editionis Romanae attinet, coniecturarum copia ipsa Calderinarum, quominus bonae memoriae eam esse iudicemus, impedimentum est, immo ipsa editio Rom. una cum ea, quae princeps appellatur, parens lectionis uulgatae, ut ita dicam, est, quae erroribus interpolationibusque scatet et eam editores usque ad Marklandum siluas castigantes, cum raro relinquere auderent, torta plerumque interpretatione seruare studebant. Iam igitur, quid collatio lectionum ex archetypo Poggiano sumptarum, quatenus mihi expeditae sunt, nos iuuet, spectemus! Quas si contuleris raro Romanam cum archetypo facere, saepe uero eum deserere mox apparebit. Nam eadem lectio in utroque libro est: II, 2. 147. praecordia (omn.). — 6. 40. torusque. — IV, 2. 25. aetherios (omn.). — V. 1. 187. De (omn.) — 5. 68. simium. — At vero discedunt: I, 3. 100. Arch. doctum, Rom. dictum (Domitius). —

II, 2. 34. A. iubeas. R. subeas D. — 90. A. more R. monte D. — 3. 55. A. seruatur, R. sinuatur — 6. 104 A. habiture, R. habitare — 105. A. amori, R. amari — et aliis locis multis.

Quae cum facerent, ut uere dictum uideretur id, quod paullo ante statui, commemorare vix oportebat, hanc editionem plane esse mittendam.

Nos paucis ad haec additis finem faciamus quaerendi de editionibus Rom. et Parm. Nam contra Romanam Parmensem a Marklando laudibus elatam ad Poggiani exempli fidem propius accedere ex eo intelligitur, quod, ita ut archetypus ille siluas solas continebat, ab hac quoque editione carmina epica desunt. Memoriam enim ante codicem a Poggio detectum recentissimam siluarum, quae per totum fere medium quod uocatur aeuum obliuioni datae erant, Otto Müllerus in epistula quadam Caroli Magni uel eius, qui a Carolo iussus erat, uerso laudato: „Curre per Euboicos non segnis epistola campos" reperit, quem uersum legimus in silu. IV. 4. 1. (Mus. Rh. t. XVIII, p. 189.)

Qua ex re consequi ut in numero auctorum Caroli cura memoriae nostrae seruatorum sint siluae iure suo iudicat neque non arbitratur, id quod nobis probari oportet, archetypum a Poggio in Italiam allatum ex ipso Caroli aeuo fluxisse uel paululum tantum distare, quamuis iam illum errare uiderimus coniicientem Poggium in Gallia codicem detexisse. Thebaidem uero et Achilleidem inter eos libros fuisse, quorum memoria per mediam aetatem floreret, et alia multa ostendunt et quae uestigia recens Dümmlerus in libro: Res gestae Berengarii imperatoris, Halae 1871, inscripto publici iuris fecit, qui exemplis allatis auctorem carminis Berengarium celebrantis cum alios poetas tum Statium in Thebaide compilasse docuit.

Sed ad quaestionem intermissam nos reuocari oportet. Nam ea, quam supra numeraui, copia uariarum lectionum, penitus sublatam esse suspicionem putantium Romanam pendere ex ipsa Parmensi spero. Vratislauiensem autem Parmensi uel Parmensem Vratislauiensi subiectam esse — quod ne coniiciamus, temporis ratione nequaquam uetimur — non erit qui suspicetur. Non enim reliquum esse uidemus, nisi ut, qua auctoritate sit Parmensis, spectemus. Atque Romanam hac editione deteri-

orem esse, quod miro interdum modo cum Vratislauiensi lectionibus uidebamus Parmensem consistere, persuasum nobis erit. Quare nos collationem cum archetypi fragmentis faciendam negligere non decet. Quo facto primum conspirasse Parmensem et archetypum manifestum erit nonnullis locis: II, 4. 10. non. — III, 1. 69 grauatis. — IV, 1. 25 aethereos. — V, ep. ded. v. 10 uisum. — 1. 189. De. — 3. 98. quis. — 5. 68. simium; — multis uestigia archetypi agnoscere licet: II, 98. Arch carpit, Parm. capit. — 104. A. habiture, P. habitare. — 105. A. amori, P. amari. — III, 2. 121. A. ad massylas, P. massyrias. — 128. A. At, P. Ac. — V, 1. 92. A. ne illaceras, P. laceras; aliis omnino digrediuntur.

Atqui ne haec quidem editio, ut conuenire debet inter nos, integra et uitiis libera est. Cuius concentus cum Romana, si, ut concedere debemus, est is, quem supra statuimus, haud scio an ex eo ducendus sit — quam rem pro certo affirmare minime ausim — quod inter codices eos, quos sequuntur Parmensis et Romana, unus fortasse fuit, ex quo integriore seruata memoria utraque editio manauit. Quoquo modo autem res se habet, editionis Parm. ita ut principis prioris partis in iudicio critico rationem esse habendam constat.

Imhofius Parmensem attingens (de. silv. cond. crit p. 8) „quae tota pendet ex editione principe“ addit, dicit autem Venetam re uera principem. Iam nos quomodo poterimus illi istud concedere, qui multa uideamus impedimenta esse, ne rem assensione comprobemus. Quaeramus igitur, quomodo re uera iudicandum sit.

Nam quin Imhofius errauerit, intuenti quam saepe discrepent in ipsa locorum inopia, qui publici iuris sunt, dubium esse non potest, quibus, ne postea repetam, Vratislauiensis fidem adpingam liceat: I, 1. 18. Ven. amplius, Parm. altius, Vrat. altior. — 2. 44. Ven. dixisses, P. uenisses, Vr. sedisses. — 3. 16. Ven. artemque, P. antiqua, Vr. artemque. — II, ep. ded. v. 26 Ven. carissima, P. clarissima, Vr. rarissima. — 1. 84. Ven. satiare, P. Vr. sanare. — 7. 96. Ven. potentis, P. Vr. prementis. — III, 3. 112. Ven. unquam, P. Vr. quamquam. — 5. 59. Ven. amplexu, P. Vr. amplectens. IV, 3. 159. Ven. annuesque, P. obuiusque, Vr annuesque. — 6. 35. Ven. finesque, P. firmosque, Vr. finesque.

— Ven. peractos, P. per arctos, Vr. per arctus. — 9. 40. Ven. alentes, P. Vr. olentes. — V, 2. 54. Ven. natantem, P. Vr. negantem. — 149. Ven. tributa, P. tribracte, Vr. tibraca. — 233. Ven. raperes, P. caperet, Vr. carperet. — 4. 8. Ven. recusent, P. reuisent, Vr. reuisent.

Equidem malim eodem modo Venetam ad archetypum accedere, quo Parmensis, ita ut utraque editio aliis manuscriptis usa uideatur, quamquam uno quondam libro conprehensas ambas fuisse non ita repugnabo. Tamen non praetermitto Venetae fidem, quae et iis, quos attuli, locis et aliis relinquit Vrat. auctoritatem, multo inferiorem Parm. editione uideri. Qua de causa et in bonam memoriam et in interpolationes incidimus, quarum in numero eas esse, quae glossae dicuntur, elucet ex II, 5. 26, ubi Ven. contra omnium librorum consensum „gladiator" cum „germanus" commutauit. Atque ipsa collatione archetypi, si facere uellem, nihil fore ut efficeretur, intellexi, postquam rarissime iisdem locis uersari, quas lectiones ex utroque libro cognitas habeo expertus sum. Quamuis autem crebri sint loci alieni a Vratislauiensis fide, persuaderi tamen mihi non potest. Venetam cum Rom. et editione, quae princeps uocatur eodem esse loco. Quare equidem hanc editionem ad emendandas siluas conferendam esse arbitror.

Venimus denique ad Parisinum codicem emendationesque margini eius adpictas. Quibus quamquam siluis medicinam afferri penitus oportet negare, rem mitti non licet, ne in errores incidamus eos, per quos Imhofius uehementer lapsus est nimiam auctoritatem margini tribuens. De ipsius codicis facie Imhofius in libelli saepe laudati p. 36 longius disseruit. Quod autem paullo post hunc codicem interpolationibus Calderini scatere demonstrabat, superuacaneum erat multis enarrare, cum, quo uinculo cum ceteris adminiculis coniunctus esset, paucis commemorare sufficeret. Nam hunc librum inde a libri II ecl. 2 accuratissime descriptum esse ex editione, quam iniuria principem uocamus, id quod O. Müllerum non fugit (Quaest. Stat. Berol. 1861 p. 5). exemplis longum faciamus necesse non est, quoniam primo aspectu typographi menda et paruulos errores ipsos librarium depinxisse apparet. Prior uero huius libri pars, quae

in II, 2. terminatur, maxime ad editionis Rom. fidem accedit, neque desunt, quibus locis principem plurimum ualere diceres, ita tamen ut, quomodo summam rei esse statuam, diiudicare non possim. Id autem non praetermitto hanc partem nequaquam interpolationibus Calderini uacuam esse.

Idem autem codex, qui „ab aliis alio tempore correctus uidetur, qui uel uariantes lectiones uel emendationes suas inter lineas posuerunt uel superscripserunt" interdum inter has emendationes meliorem lectionem prodere uidetur, quam cetera adminicula cum ipso Vrat., quae, utrum e bona memoria natae sint an e coniecturis profectae, operae pretium est accuratius spectare. Neque Imhofius ex his emendationibus alias ad Vratisl. pertinere, alias cum Veneta facere non animaduertit. Cum uero O. Müllerum, „quae in marginibus libri Parisini adparet uaria lectio, partim ab exemplo bono uidetur uenisse, partim prospera coniectura esse inuenta" affirmantem recte iudicare intellecturi simus, alienum non uidetur quaerere, num ex emendationum genere atque natura, quale illud bonum exemplum fuerit, perspici possit. Vratislauiensem enim aliquid ualere ad marginem manifestum est ex copia locorum, quibus mendosis etiam alter cum altero consistit: II, 3. 55. scrutatur — 4. 15. conuiuia. — III, 1. 120 inuida. — 2, 51. ecce. — 3. 164. longa. — 200. lucida. — IV, 1. 45. dei. — 2. 30. supra. — 4. 92. uocifera. — 6 58. et cultum. — V, ep. ded. v. 10 usum. — 3. 28. magnam. — 35. labente. — 83. rauco. — alia

Multo crebriores ii loci sunt, quibus Parm. una cum Vrat. et margine siue integram siue deprauatam memoriam prodit. Neque aliis locis margo nos deficit, eos dico, quibus cum uno Vrat. iustam memoriam praebet: I, 2. 123. angustum. — II, 6. 43. errore. — III, 4. 52. dignius. — 5. 50. uitamque. — IV, 7. 55. timaui.

Longe autem maximam partem emendationum (nam permultae sunt, interdum per singulos fere uersus adscriptae) eam esse, qua menda et uitia Parisini ex consensu omnium librorum tollantur eaeque lectiones in discrimine nihil ualeant, cuiuis facile intellectu est. Neque etiam Imhofium perperam iudicasse dixerim marginem

nonnunquam miro modo premere Venetae uestigia, quamquam, si eiusmodi locos cum Vratislauiensis concentibus comparauerimus, raros eos esse nos non praeteribit.

Cum igitur omnino dubium esse non possit, quin corrector lectiones margini adpingens exemplo ad Vratislauiensis memoriam quam proxime accedenti usus sit, ne de Veneta editione idem affirmem uereor locis ita comparatis, ut fieri potuisse concedendum sit, quin, quae paucae lectiones conspirantes innotuerint, eae aliis causis debeantur. Ad summam igitur margo Parisini exemplum secutus est, quod Vratislauiensi multo magis respondebat, quam Parmensi uel Romanae, praeterea autem ex ipsa Veneta uel ex exemplo Venetae simili hausisse uidetur. Quare corrector libri Parisini, licet nihil noui prodat lectionibus in ipso archetypo suo exstantibus, tamen in aliquo numero fuisset, nisi idem abundanter animum exercuisset coniecturis atque iis, quae interdum optimae sint et bonae memoriae suspicionem moueant. Neque paucae eiusmodi sunt, ut indolem et naturam suam prae se ferant, et quos Imhofius enumerat locos solius marginis auctoritate restitutos, eos plus minus bene excogitatas interpolationes esse nemo non perspiciet, ut: II, 2. 143. margo uiuite, ctt. discite. — I. 4. 62. m. huc altius, ctt. cum Vrat. altigaudens. — V, 3. 132. m. Verus, ctt. cum Vr. Persus, quae easdem Marklandi et Geuartii emendationes auctoritate nihil superant. Neque aliter res se habet aliis locis, quos Imhofius p. 39 laudat, inter quos V, 3. 195. „enio“ pro ceterorum „erinnys“ uehementer interpretationem redolet. Itaque tantum abest, ut cum Imhofio minimam tantum auctoritatem his lectionibus tribuam, ut tanti faciam, quanti coniecturas facere par est. Sed cum Imhofius alios et multos locos neglexerit, quibus emendationum indoles accuratius perspicitur, ut eorum nonnullos viri doctissimi errorem prodentes aduocem mihi permittatur: I, 3. 63. donat. — 4. 45. tibi — II, 1. 88. fauisse. — III, 2. 30. scopulos. — 5. 30. pectoribus. — IV, ep. ded. 30. domitiano. — 2. 21. mirantur. — 23. ambitus. — 3. 30. larina (cum nota: Larinates in Campania sunt). — V, 3. 160. saeuos. — 208 conteruit urbes. — 23. 5. ludere, alia.

At summa rei paucis repetita finem faciamus ali-

quando! Nam quaecunque exstant adminicula critica ex eodem fonte, Poggiano illo archetypo, deriuata esse demonstrauimus, ea autem non ex ipso archetypo profecta esse, sed ex libro, qui illum codicem sequeretur, ex quo et Vrat. et edd. Parm. et Rom. ita ut haud dubie Ven. originem ducerent pluribus paucioribusue manuscriptis intercedentibus; ex Rom. uero alteram ed. pr. partem pendere et ex ipsa hac principe, quae uocatur, codicem Paris. inde ab libri II, 2.; alteram uero eiusdem principis partem eodem fonte usam esse, quo Vratislauiensem, id quod de Budaeo suspicari posse diximus. Neque sine quadam ueritatis specie arbitrati sumus Romanam, Parmensem, Venetam inter se arctiore uinculo contineri, quam cum Vrat.

Si igitur quis siluas emendare uolet, primum collatione illa archetypi utetur; quae cum paucis tantum locis iudicium criticum adiuuet atque prouehat, Nohlius iure suo quasi fundamentum Vratislauiensem, licet interpolatus sit, esse affirmat, quem sequi scimus editiones illas emendatas, Parm. et principis quae uocatur priorem partem et fortasse Ven. Nec Budaeum praetermittendum arbitror, cum de Salisburiensi dubitare liceat. Inemendata igitur adminicula — neque id de Budaeo coniicere audeo — nusquam exstant.

Caput II.

De codicis Vratislauiensis ui atque auctoritate.

Imhofium codicem Vrat. depictum magis quam descriptum esse ex exemplo Poggiano, cuius iactura nimis dolenda non esset, putantem uehementer errasse iam antea demonstratum est. Nam quamquam hunc codicem ex archetypo suo depictum esse non nego, tamen hunc archetypum Poggianum illum non fuisse summopere doleo, id quod ex innumeris et mendis et erroribus librarium sermonis latini penitus ignarum prodentibus satis sciri potest. Atque equidem, postquam Nohlius exploratum fecit, quae interpolationes in Vratislauiensi exstarent, eas non omnes in editione principe inueniri, ab hac re ordi-

endum esse putaui. Quam ob causam duo interpolationum genera distingui posse facile uidemus, quorum alterum iam in communi fonte utriusque libri dominabatur, alterum postea natum est. Itaque Vratislauiensem, si ceterorum adminiculorum auxilio, quibus uti par est, utimur, sed maxime priore parte editionis principis, liberatum iri iis uitiis spero, quae in posteriore numero sunt. Neque igitur Imhofius editiones contra Vratislauiensem nihili faciens nobis laudandus est. Quae cum accuratius quaerimus, primum mittamus tum necesso est innumerabiles fere locos, qui uel in Vratislauiensi, uel in editione principe, uel in alio quolibet libro librariorum erroribus, peccatis, incuriis debentur. Quo facto tamen haud exigua copia interpolationum restabit.

Jam igitur, ut uia ac ratione progrediar, inter emendationes a Nohlio detectas esse, quarum editio princeps communitatem non habeat, primum demonstrandum est, has dico: I, 2. 42. Arch. ed. pr. frequentis, Vrat. sequentis — 236. A. ed. pr. imagine, V. in agmine — 3. 100. A. pr. doctum, V. dictum — 6. 43. A. uescimur, ed. pr. nescimur, V. uestitur —

In altera vero principis parte consensum cum Arch. contra Vrat. retentum esse apparet: IV, 2. 25. A. ed. pr. aethereos, V. aethereo. — 2. 7. A. ed. pr. nberar, V. quear. -- 3. 98. A. ed. pr. qui, V. quis — 234. A. ed. pr. urgebant, V. urgebat (et ita Politianus coni.) — 5. 68. A. ed. pr. simium, V. summum.

Cum uero ed. pr. his locis uel cum reliquis conspiret uel lectiones Vrat. eae sint, quibus facilius suspicio errorum moueatur, quam interpolationum, haud dico principe Vrat. fidem debilitari atque frangi. Quare his locis adducti posteriorem principis partem contra ea, quae antea disserui, auctoritate priorem aequare neque alius quisquam neque ego unquam arbitrabimur. Attamen id dubium esse non potest, quin prior editionis principis pars interdum archetypi fidem seruauerit, ubi Vrat. interpolationibus mendosior factus est, id quod de Parmensi nos affirmare posse, ex iis, quae de ui atque auctoritate eius allata sunt, intelligitur.

Ducibus enim editione, quae princeps appellatur, et ceteris, quae in iudicio critico in aliquo numero sunt,

interpolatorem his locis potitum esse inter nos conuenire debet, ut mea fert opinio:

I, 2. 21 Vr. nimbo, ctt. tymbra, cfr. Hand. ad h. l. Thymbra, Thymbraeus haud rara obuia fiunt, ut Theb. VIII, 202, silv, I, 2. 222, IV, 7. 12, — 2. 109. Vr. Finierat tenera, ed. pr.: Dempserat et tenera, magis ad ceterorum „Dixerat et tenera", quod a Domitio profectum esse aiunt, quadrans. At uero finiendi uerbo Statius ea, qua hoc loco exstat, ui bis in Thebaide utitur, I, 283, V, 753; nusquam uero in siluis, cum „Dixerat" persaepe et in lyricis et in epicis obuiam sit. — 2. 195. coniugii Vr., quod Statius nusquam usus est; ctt. omn. connubii. — 2. 203. Vr. Nitidae—Pisae, ed. pr. mie, aliae miadae uel intiadae, Paris. tumidae, quod Marklando probatur. Qui autem librarius „nitidae" uerbum quotidiano usu expeditum cum „mie" uel alia quadam lectione inepta commutaret? Contra facile ex „mie" illo uel ceteris lectionibus sciolum quendam nitidae fecisse, multo probabilius uidetur, praesertim cum uerbo „nitidus" hac in ecloga paene ad nauseam poeta usus sit, vv. 145, 147, 150, 213, cfr. Hand. ad h. l. — 5. 13 Vr. uittis, ctt. myrtis. — 3. 36. uena, ctt. luna, quod iure Gronouius et R. Bentleius maluerunt. — 5. 21. berecintidos, ctt. crebre cnydos. Handium nos sequi decet suspicatum rem alludere ad fabulam quandam nostrae memoriae ignotam, qua rei obscuritate una cum corruptela, quam librarium in suo exemplo inuenisse uerisimile esset, hic adductus „berecyntidos" infantibus expeditum scriberet. — II, 2. 39 Melpomone, ctt. Phemonoe. — 4. 37. Gaudet, ctt. Scandet. — 7. 52. canis, ctt. carus. „Canis" nec propter temporis rationem, neque propter metri condicionem ferri potest. — 7. 60. fluminibus Rheni uagantis, ctt. culminibus Remi uagantes. — III, ep. u. 17 (Mark.) Vr. amantissimum, ctt. amarissimum. — 1. 12. felix, ctt. uelox. — 1. 156. praecedere, ctt. praeuertere. — 2. 13. ponti, ctt. diuae, „Ponti" interpretationis indolem prae se fert, quam ne laudemus, syderibus ponti, quae sequuntur, uetimur. — 2. 133. Vr. litora, ctt. pectora. — 3. 164. longa, ctt. plura. „Longa" ex interpretatione superscripta „longe" uenire persuasum habeo. — 4. 68. lenire Vr., ctt. mollire. Cum enim nec „mollire" neque „lenire" ea ui ab alio quodam auctore usurpatum

sit, uocem „mollis" in ius uocemus necesse est, sexcenties de iis hominibus adhibitam, ut sunt cinaedi, spadones, alii, de quibus nusquam locorum „lenis" dicitur, Cic. orat. I, 52, Catull. 25, 1 et 10, Mart. III, 73. 4. — 4. 83 Vrat. pectebat (et ita Parm., quare glossam uerbo „repetebat" adscriptum fuisse Marklandum non praeteribat) ctt. repetebat, cfr. Theb. VI, 541. — IV, 2. 37 Vr. sordida rura, ctt. sobria rura. — 6. 47. Vr. cyclopes, ctt. Telchines. Interpolator rerum diuinarum haud gnarus, cum Telchines ex Graecorum opinione peritissimos fuisse nesciret, qui metalla concoquerent et caelarent, cyclopes, qui infantibus etiam expediti sunt, quamuis ab antris Idaeis abhorrerent, tamen in eorum locum substituit. — V, 1. 81. Vr. arctos; archetypum tam in vv., qui sequuntur, tribus in fine mutilatum fuisse, quam in hoc uersu, in quibus, quae Vrat. memoriae tradit, ea a ratione discedere non est cur commemorem. Quare Marklandum „auster" coniicientem iustam emendationem excogitasse facile apparebit considerantibus nobis, quattuor coeli plagas desiderari. — 3. 28. Vr. magnam, ctt. magno. „Magnam" uocabulo „uocem" iuxta posito deberi facile intelligitur. — 3. 83. Vr. rauco, ctt. trunco, cfr. Theb. VIII 620. Raucus dicitur de tussi, Lucret. VI 1187, de ranarum uoce Ouid. met. VI, 377, de picis, id. V, 678, de simiis id. XIV, 100. neque non de palumbibus, Verg. ecl. I, 58, de cicadis, id. II, 12; sed quid lusciniis cum raucitate? at truncam earum uocem dici posse propter querelae similitudinem, quam ubique ueteres commemorant notum est. — 3. 186. Vr. hibernas, ctt. hyberos. „Hibernas" quod „eois" gentibus debetur, metri ratione propellitur. — 3. 209. Vr. inotaque, ctt. lustrataque. Marklando, cum dubitaret, num recte dici posset „lustrataque", coniectura „monstrata" nata est et ea, quam Queckius et Imhofius non probarent, qui se noui quid reperisse rati Vrat. emendatum „inota" i. e. ignota propere receperunt. Quod enim ipsum pulsandi uerbum iam id ualet, ut uocabulo „ignota" misso Statium adolescentulum aduenam atque hospitem in Musarum luco fuisse significet, falsam lectionem probant, quamuis urgeat alter siluarum locus V, 2. 20, ex quo aduenarum esse fores pulsare discimus. Atque cum „lustrata" non tam suspicionis

ansam non habeat Marklando qua est morositate locum castigante, quam ad uocales lucos, id quod Statianum est, optime accommodatum uideatur: non est causa, quin solo Vratislauiensi duce bonam memoriam post deprauatam ponamus. — 3. 277. Vr. aeternaque, ctt. aethnaeaque, ex quo iure suo Gronouius „enneaque" fecit probantibus Bentleio et Handio, qui „henneaque" malunt.

Multo autem frequentiora ea sunt exempla, in quibus, utrum ex emendationibus uoluntariis lectiones ortae sint, dubitandum est, an proficiscantur ex erroribus et peccatis librariorum, quorum, quamuis numero effuse reperiantur, duo advoco exempla, e quibus, quemadmodum res sit, appareat: II, 1. 204 Vr. multasque, ctt. mutasque; V, 3. 22, Vr. Phoebum, ctt. Phoeben.

Omnibus igitur fere, quos laudaui, locis Vrat. solus contra consensum omnium adminiculorum stat.

Quod autem editione principe, quae uocatur, his locis plerumque continetur bona memoria, argumentum esse oportet, integram lectionem in eo codice exstitisse, qui communis utriusque libri fons erat.

Neque tamen illum exemplum interpolationibus et erroribus uacasse iis probatur locis, quibus Vrat. lectionibus cum editione principe consistit dissidens ab archetypi fide. Unde efficitur, ut, quem auctoritate ceteros premere atque urgere dicunt, is codex ipse, cum certe duas manus interpolatrices eum esse expertum constet, non tanti ducendus sit, ut nos illo uno duce, quibus locis aliis caremus opibus, iustam memoriam restituturos esse speremus. Attamen quamuis Imhofius non tam falso affirmasse dicendum sit, non esse cur Marklandus iudicauerit siluarum memoriam magis esse corruptam et emendationem multo maiorem et laborem et sagacitatem flagitare et multis locis omnino fieri non posse, quin manus poetae restituatur: non poterimus non confiteri siluas ea scriptorum antiquorum conditione urgeri, qua qui mendosis et interpolatis codicibus solis nostrae aetati seruati sint, urgeantur.

Licit igitur Vrat. non sit ea praestantia, qua uulgo credebatur, tamen si cum ceteris adminiculis eum comparauerimus, ea multo posteriora hoc codice esse facile apparebit. Nam mitto editiones illas, quae solae mentione dignae sunt, proprias et crebras habere interpo-

lationes, id quod antea demonstraui; tamen Vrat. haud raro auctor est lectionum, quae iudicio ac ratione usi non possumus non probare. Cuius rei cum Nohlius archetypi collatione duce nonnulla specimina collegerit, alia supplere cogito, etsi deest bona dux illa, collatio.

Quaerat forte quispiam, quibus causis Handius, nam auctor est erroris, et qui eum sequebantur, eo sint adducti, ut Vratislauiensem tanti aestimauerint; nam temere illos fecisse nemo credet. Neque difficilis res est ad intellegendum et ea, qua efficiatur, ut nos quoque codicem cum ceteris comparatum optimum putemus.

Nam quamuis emendatus atque interpolatus sit, tamen multis locis solus medicinam affert. At uero quoniam res ita se habet, ut multis demonstraui, cauendum erit, ne codicum memoriae, quod coniiciendo excogitatum est, id tribuentes peccemus. Nam collatis iis locis, quos Politianus nobis seruauit, me temere et sine causa hoc monuisse nemo dicet, quia remoto archetypo pleraeque interpolationes uix dubitationem nobis iniiciunt. Itaque semper hunc errorem effugere nos posse omnino negarim.

Peruenimus igitur ad eam quaestiunculae partem, qua nobis demonstrandum est, quibus locis Vratislauiensis ceterorum adminiculorum fidem remoueat atque obtegat. Passouio, qui primus haec praestantiae signa collegit in „ind. lect. Vrat. aest. a. 1818“, aetate successit Imhofius pp. 40 et 41, quem manifestas interpolationes bonae memoriae loco habuisse, quo errore utebatur in aestimando Vratislauiensi, mirum non est. Cuius rei, quam longius facere exemplis non iuuat, duo nunc sufficient: I, 2. 203 nitidae, et V, 3. 209 inotaque. Ad eum igitur numerum, quem Imhofius conscripsit, alium addere mihi liceat, quibus locis Vrat. uel solus uel paucis adminiculis adiuuantibus iustam memoriam seruasse uidetur.

I, 1. 2. Vr. perauras (et ita Senensis et Lipsii codex), ctt. peractum. — 2. 14. Vr. uultusque (et ita Parm. et Ven.), alia: uultumque. Quamquam Marklandum, quod de numinibus ait illustrioribusque personis Statium plurali numero „uultus“ usurpauisse, multis ex locis apparet errare, cfr. I, 2. 7; 105; 211. alia; tamen concentu syllabarum exeuntium: deum crinem uultum, ut „uultus“ praeferamus, efficitur. — 2. 22. Vr. uiolis, ctt. mollis. — 2. 44. Vr. Sedisses,

ctt. uenisses uel dixisses. — 2. 63. Vr. profatur, ctt. profatus. Cum Handio esse mallo quam cum Queckio, cum „profatus“ ad leuiusculam uocem „ait“ pertinere interposito enunciato — id quod ferri posse non negarim — minus probandum mihi uideatur. — 2. 91. Vr. durase, non ut Imhofius laudat, „durare“, quod illi in fide Vratislauiensis nixo placet; tamen „durase“ per errorem ortum esse pro ceterorum „durasse“ multo probabilius uidetur. Ven. et. Parm. superesse, quod interpretationis instar haberi oportet. — 2. 194. Alterum errorem et Passouii et Imhofii corrigere mihi liceat, qui „honores“ Vratislauiensem prodere errant, cum „tacito — honorem“ legamus littera m, ut saepe in fine uersuum fit, in latere collocata ꟿ. — 6. 67. Vr. Hic, ctt. Huc. Marklandus Vratislauiensis usus expers: mallem, inquit, hic pro huc, ut v. 57, ubi male Bernartius his. Imhofius uero opinione audacior coniecturam Vratislauiensis fide confirmatam tamen pellere studet. — II, epist. ded. v. 26. Vr. rarissima, ctt. carissima uel clarissima. Cum Marklandus, utrum clarissima an rarissima praeferat, vehementer dubitet laudans IV, 8. 32. et V, 1. 11.: omnis dubitatio tollatur cum his locis tum sententia eclogae necesse est, ad quam Pollae Argentariae commemoratio pertinet. — 1. 27. uersa (et ita Imhofius), contigit, ut locos accomodatos repererim: Theb. VI, 214. Verg. Aen. XI, 92., Tac. ann. III, 2. — 3. 3. Vr. Incuruata (et ita arch.), legendum est: Incuruata uadis, archetypo auctore, ctt. curuata in. — 3. 14. Vr. ibi, ctt. iam. — 3. 16. Vr. fluidos, ctt. flauos. — 6. 43. Vr. errore, ctt. horrore. — 6. 83. Vr. sibi (a pr. m.), ctt. tibi (et ita Vrat. ab alt. m.) — 6. 97. Vr. doleri (Parm. dolerri), cfr. Theb. VIII. 285., ctt. dolorem. — 7. 14. Vr. patet aut, ctt. pateram et. — 7. 79. Vr. Quid, ctt. Quin. — III, ep. 5. Vr. expaueris, ctt. expaueas. Id enim tempus spectans, quo tempore Pollius celeritatem scribendi poetae sua in uilla uersantis admiratus est, Statius epistolam scribit. Quomodo autem praesens tempus irruerit, postquam ad „scias“ quod antecedit animum attendimus, facile liquet. — 1. 145. Vrat. humentibus, ctt. uiuentibus uel uirentibus. — 1. 160. Vr. degenerabit, ctt. degenerauit uel dedignatur. — 2. 51. Vr. ecce, ctt. inde uel unde. — 2. 87. Vr. ferat, ctt. gerat uel

gerit. — 3. 3. Vr. Huc, ctt. nunc. — 3 103. Vr. domini (et ita ed. pr. et Parm.), ctt. bonum uel domuum. — 3. 194. Vr. hoc, ctt. ah. — 3. 208. Vr. senior, ctt. genitor. — 5. 87. Vr. stricte iurgia (arch. strictae), ctt. scita lycurgia. — 111. Vr. Praeueniesque, ctt. Perueniesque. — IV, 1. 19. Vr. meo, ctt. nouo. — 1. 38. Vr. renouabitur, cfr. III, 1. 1. (Intermissa diu reuocat Tyrinthie sacra), ctt. reuocabitur. — 2. 4. Vr. multo (et ita Parm.), ctt. lento. — 2. 20. Vr. Stupet. ctt. super. — 3. 71. Vr. Raucis (et ita Parm.), ctt. Pandis uel Pansis. — 4. 71. parua (legendum est, Imhofio auctore paruo et Getae cfr. O. Müller l. l. p. 30, cum Vrat., cfr. silv. I, 6. 44), ctt. patriae. — 5. 17. Vr. lanigeri, ctt. Iapigeri. — 6. 35. Vr. fines (et ita Ven.) ctt. firmos — 6. 84. Vr. Sagunti. ctt. tonantis. — 7. 47. Vr. alae, ctt. aulae. — 7. 55. Vr. timaui, ctt. torani uel troiani. — 8. 61. Vr. prona, ctt. plena. — 9. 38. Vr. psitiis, ctt. positis. — 9. 40. Vr. olentes (et ita Parm.), ctt. alentes uel arentes uel auentes. — 9. 47. Vr. mihi, ctt. nihil. — V, 1. 51. Vr. pulchre (lege pulchrae) ctt. pulchro. — 1. 117. Vr. mutata, ctt. cunctata. — 1. 147. Vr. uineta, ctt. iumenta. — 1. 170. Vr. error, ctt. horror. — 1. 223. Vr. Cibebe (et ita Imh.), ctt. Cybele, quod metri ratione propelli Müllerus p. 31 demonstrauit. — 2. 1. Vr. Tagetis, ctt. Tageni. — 2. 8. Imhofius, cum in Vratislauiensi „Quod si" esse ratus iudicet hanc iustam lectionem peccat, quia codex archetypum secutus „Quid si" manifeste prodit. — 2. 81. Vr. libet (et ita Parm.), ctt. iuuat. — 2. 153. Vr. uallumque, ctt. uellamque uel ueniam. — 2. 199. Vr. torua, ctt. tortina uel torui. — 3. 35. Vr. labente (cfr. Imh. p. 9), ctt. hebetante uel alias ineptas lectiones. — 3. 54. Vr. uis nuda, ctt. uda uel nulla. — 3. 78 Vr. At te, ctt. Et te. — 3. 194. Vr. stringebat, cfr. I, 2. 244, II, 2. 115, ctt. frangebat, Rom. flagrabat. — 3. 209. Imhofium „inotaque" Vratislauiensis probantem iam supra dixi errasse. — 3. 282. Vr. supremus, ctt. supremis. — 5. 73. Vr. ortus, ctt. artus.

Ad haec autem exempla haud exiguus numerus eorum adiungendus est, quae utra sit fides codicum in medio relinquunt, Vratislauiensis memoria an ceterorum adminiculorum lectiones, praesertim cum neque locorum

sententia neque linguae indole nec poetae usu ansa nobis data sit, qua deprehensa rem diiudicemus, ita ut librorum fidem atque auctoritatem solam ualere manifestum sit. Ex eo autem, quod Vratislauiensem esse statuimus, in quo maxime iudicimus criticum positum esset, ne opinio existat cauendum est hunc secutos nos controuersiam sublaturos esse interpolationum creberrimarum haud memores. Quod enim Imhofius eiusmodi locos inter eos esse putat, qui in Vratislauiensi medicinam repererint, mirum non est considerantibus nobis ea, quae supra dixi, quorum nonnullos postea littera I. adpicta manifestos feci. Quamquam igitur nihil opus est exemplis hoc facere longius, tamen pauca afferam liceat: I, 1. 41. Vr. pateant, ctt. ualeant. — 91. Vr. nubiferas, ctt. imbriferas. — 3. 92. Vr. nitor (I), ctt. decor. — II, 1. 226. Vr. sonet (I.), ctt. sonent. — 7. 81. Vr. carminum (I.), ctt. carminis. — III, 2. 101. Vr. olim (I.), ctt. quondam. — 4. 31. Vr. uultusque (I.), ctt. uultumque. — 5. 14. Vr. corde (I.), ctt. cordi. — 36. Vr. umbras (I.), ctt. undas. — V, 5. 58. Vr. rependis, ctt. rependit, alia.

Neque erit, quin concedat, quas crebras in Vratislauiensi inuenimus formas accusatiui pluralis tertiae quae uocatur declinationis in „is“ exeuntes, eas bonam memoriam seruasse. Quibus in reuocandis si Handii praecepta secuti erimus in editionis suae pp. 344 et 345 suadentis, ut iis locis, quibus idonei sint testes, antiquiores formas restituamus; Statium uero, ait, praesertim in fine uersuum formam in „is“ determinatam exhibere, cuius rei exempla collegit: reprehensione digni uix euademus. Ubi enim Vratislauiensis his accusatiuis cum editione principe consistat, iam p. 11 demonstraui.

In alio numero ii sunt loci, qui, cum in omnibus libris nostris mutilati atque corrupti seruentur, in uno Vratislauiensi uestigia manus Statianae retinent. Cuius rei quamquam quae exempla Imhofius p. 41, laudat, ea non omnia mihi probantur, tamen uirum doctissimum interdum rem feliciter gessisse non repugno. Nam Passouium I, 2. 89. „praefulsi“ Vratislauiensi duce recte restituisse nemo negabit gnarus, in codice contra ceterorum „praelusi“ esse „praeulsi“. At me Imhofium erroribus non temere arguere patet, ubi intuiti sumus

I, 1. 42. Nam facile est ad intellegendum, illum uehementer errare affirmantem Vratislauiensis „qui se" ex „cui se" ortum esse, cum cetera adminicula „quae se" uel „quis se" habeant. Eiusmodi enim uerborum perturbationem usquam locorum in Vratislauiensi me reperire neque ego memini neque alium quendam hanc erroris causam magis probare puto, quam quae sexcenties in quovis codice latino obuia est, litteram s semel scriptam dico, ubi iterari eam oportebat. Quare non est, cur Vratislauiensis auctoritate eo adducamur, ut „quis se" minus placeat. Neque crediderim Imhofium, licet ipse rem affirmet, I, 4. 13. coniicientem „uos aeque — colles Confremite" (cfr. p. 34 l. l.) ualde adiutum esse Vratislauiensis memoria, qui „noseque" habet.

Contra uero Vratislauiensis fide, id quod nos uolumus, efficitur II, 6. 50, ubi, cum in Vr. Parm. ed. pr. „potase" esset, „dotasse" coniiciendum erat. Atque eodem modo res aliis locis se habet, ut III, 1. 46. Vr. instrictus, ex quo facile ducitur „instructus". — 149. Vr. limo numenque, quod „Limon omenque" esse Marklandus animaduertit. — 3. 40. Vr. genui, ubi emendandum erat „gemui". — 5. 9. Vr. interfectas, qua lectione edoctus Imhofius emendationem „imperfectas" mihi praeripuit contra Marklandum; nam ut alia mittam, quae lectio a nonnullis traditur „intertextas", eam ex interpretatione uenire manifestum est. — III, 5. 21. Vr. ut penetrabile magis archetypi fidem „impenetrabile" sequitur quam ceterorum interpolatio „haud penetrabile". — 5. 62. Vr. fedis, ex qua lectione, quam aliunde notam habuit, Marklandus iure suo „festis" contra aliorum „taedis" scribendum esse intellexit. — IV, 3. 50. Vr. deuie, unde „di uiam" uel „di uehi" haud scio an coniiciamus. — 159. Vr. annuesque ad archetypi „abnuesque" magis accommodatum est, quam "obuiusque" quod in ceteris legitur. — 6. 52. Vr. Aut talee, ex quo restituamus necesse est: Aut aleae, quod cetera adminicula tenebris inuoluerunt.

Vidimus igitur Vratislauiensem et interpolationis uestigia haud rara complecti, complecti quoque solum haud paucas lectiones, quas ueteris memoriae testes non possumus non putare, quam rem collatione reliquiarum archetypi comprobari ex Nohlii quaestione elucebat. Quibus ex rebus id consequitur, quod inter omnes iam

constat, ut iudicium in siluis adhibendum inprimis in Vratislauiensi positum sit, contra quem, licet magis corruptus et interpolatus euaserit, quam credebatur, cetera adminicula critica, — mitto archetypi collationem — quasi secunda sunt.

Cum igitur inemendato et antiquo codice, quo quasi fundamento iudicium nostrum fulciatur, careamus, cumque etiam iis locis, quibus Vrat. bonam et integram memoriam proferre uidetur, cauendum sit, ne decipiamur: tantum abest, ut a coniecturis abhorreamus, ut uera suspicione data ad has putemus solum esse refugium. Neque tamen, quamquam res ita est, siluas tam uehementer nos aggredi et uexare licet, quantopere Marklandus poetam urgebat et nihil remittebat: nam eo progressus est audaciae, ut non solum si dicendi ratio paululum a trito sermone recessit, sed etiam nulla dubitationis causa allata, si res post coniecturam melius ei uidebatur cedere, ad emendationes atque mutationes praeceps et expeditus esset, ita ut nobis reprimendam esse coniecturarum abundantiam inter omnes conueniat. Cuius rei memor Imhofius, cum non minus CCCC coniecturas temere factas sustulisset, quae Marklandus ipse excogitauerat, praeter copiam eam, quam ab aliis uiris doctis receperat, et earum Imhofius ad LXX spurias et superuacaneas esse iudicauit: raro lapsus est idque iis locis, quibus Vratislauiensem pluris quam fas est aestimauit.

Atque haec hactenus. Operis satis ampli, quod philosophorum summi ordinis arbitrio tradidi, partem tantum typis mandare nunc quidem licuit, spero autem ut reliqua, quae continent emendationes Statianas, quaestionem de altera manu codicis Vratisl. una cum supplemento collationis Passouianae, locorum et collectionem et iudicium, quibus Horatii studia et imitationes deprehendimus, ad lucem data occasione promittam.

Vita.


Hermannus Hahn natus sum Vratislauiae die II. mensis Januarii XLVII h. s. patre Eduardo, matre Julia e gente Schneider, quibus superstitibus adhuc gaudeo. Primis imbutus litterarum elementis cum fidei addictus sim catholicae, gymnasium ad aedem St. Mathiae per nouem annos frequentaui, quod tum Wisowae v. ill. auspiciis florebat. Testimonium maturitatis adeptus a. LXVIII ciuibus academicis adscriptus sum Raebiger v. Ill. fasces tenente. Scholas adii philologicas, historicas, philosophas: per quinque semestria proseminarii et seminarii philologici eram sodalis, quod regebant Vv. Ill. Hertz, Reifferscheid, Rossbach, quibus optime de me meritis gratias ago quam maximas.



Theses.

Legendum propono:

1. Tac. ann. I, 68: Igitur orta die proruunt, fossis iniiciunt crates etc.
2. Florus II, 5 (III, 17): Drusus plebem ad se Gracchanis legibus isdemque socios ad plebem allexit.
3. Florus II, 18 (IV, 8): Jam et classe medium mare insederat, o quam diuersus a patre! ille Cilicas exstinxerat, hic se piratica tuebatur; turpiter Puteolos etc.
4. Stat. silv. I, 3. 9: Ipsa manu tenera tectum scripsitne Voluptas?
5. Stat. silv. ep. ded. IV in init. Reor equidem aliter, quam inuocato numine maximi imperatoris nullum opusculum inueniri coepisse, sed hic liber tres habet (lacuna, quae haec fere complectebatur: eclogas, quibus numen imperatoris adoraui), sequitur etc.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 892 7